

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-805908-p0001-2

1775.

1. Bertramius, Phil. Ernestus: Jus provocationum plurium Germaniae populorum usque ad Caroli M. aetatem.

2. Heisler, Phil. Jacobus: De fratrum Germanorum liberis sine cum patre defuncti unilateralis, sive cum patris unilateralis filiis, sive cum illis defuncti concurrant, sec. Nov. 118. c. 3. jure representationis in stirpes succedentibus.

3. Semlerus, Joannes Salomo: Carmina quaedam apostolica quibus evidentissime demonstratur Servatorem nostrum esse Paulo auctore verum Deum et verum hominem. Disp. II

1776

1. 1/2 Nettelbladt, Daniel: De expensarum et pretii restitutione in restitutione 2 Empf.

1776

2. Waltaerus, Joannes Christianus: De vita petendae restitutionis in integrum praetoriae secundum doctrinam Romanorum praecipue quadriennali hodie vero perpetua ad l. ult. Cod. de tempor. restit. in int.

1777.

1. Glueck, Christianus Fridericus: De testamenti privati solemnis, a testatore conditi, probatione, per septem testes, in eo ordinando adhibitos, instituenda.

2. Heintzel, Fridericus Carolus: De chronico narium catarrhali affectu.

3 Nettelbladt, Daniel: De sententia condemnatoria sine praevia inquisitione speciali

4. Waltaerus, Jo. Christianus: De conditionum indole atque natura

1778

1. Eberhard, Johann August: Von dem Begriffe der Philosophie und ihren Theilen

2. Foersterus, Johannes Christianus: Originum Mansfeldensium selecta capita.

3. Nettelblodt, Daniel: De differentia matrimonii juris naturalis et civilis

4. Woltaer, Joan. Christianus: Flores ad jus querelae de inofficioso testamento sparsos ... submittit.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-805908-p0007-6

CARMINA QVAEDAM APOSTOLICA

QVIBVS

EVIDENTISSIME DEMONSTRATVR

SERVATOREM NOSTRVM IESVM CHRISTVM

ESSE

PAVLO AVCTORE

VERVM DEVM ET VERVM HOMINEM

DISSERTATIO SECVNDA.

QVAM

PRAESIDE

D. IOANNE SALOMONE SEMLERO,

ORDINIS THEOL. SENIORE

SEMINARII REGII DIRECTORE

ET ALVMNORVM REGIORVM ATQVE HALBERSTAD. EPHORO,

DIE XXV. AVGVSTI CIↃ IↃ CC LXXV.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CARL GOTTLIEB SCHVLTZE

PYRITZIA-POMERANVS

E SEMINARII REGII SENIORIBVS.

HALAE SAXONVM

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDEL.

DIRECTORI

GRAVISSIMO

ANTISTITI GENERALISSIMO

CAETERISQVE SANCTIOR. PER POMERAN. BORVSS.

ET

PRINCIPATVM CAMINENS. DICASTERII

CONSILIARIIS

ACADEMICAE DILIGENTIAE SPECIMEN

H V M I L L I M E

D E D I C A T

CARL GOTTLIEB SCHVLTZE.

§. I.

Nostra, qua Deo moderante fruimur, noui foederis oeconomia, ipsis primis eius doctoribus testibus, non vno quasi temporis momento tota fuit diuulgata; sed, vt luculentissime docet σωτηρ ἡμων, *Paulique* exemplum, per partes, & succedentibus simillimis studiis. Sub istud tempus, cum Christus morte sua acerbissima publici doctoris meliorem prouinciam finiret, eius rei caussam studiosius prodens discipulis suis, hanc ob καταστροφην valde afflictis, multa se iis proponenda adhuc habere dicit, quae tanti essent momenti & fastigii, vt ante spiritus sancti effusionem, qui Christi vice doctoris instar expleturus sit, recte ab ipsis perspici non possent. Et Pauli docendi modus, accepto illo spiritu promisso, prorsus illi Christi fuit consentaneus; semper eam obseruauit cautionem, vt praemitteret eas melioris religionis veritates, quae auditorum suorum mediocritatem non excederent. Quod cum ipso sic eloqui malo: semper iis, ante cibum solidiorem, lac praebet, quasi infantibus, νηπιοις. Horum doctorum, tam imitatione dignorum, si omnis aetas inde a Christi in terra commorantis tempore praeterlapsa, secuta porro fuisset exemplum, nec in modis quorundam articulorum definiendis fines quasi raptim transiliisset, sacris in libris praescriptos: vix tam facile locus fuisset illi dirarum execrationum consuetudini, qua prudentiam iustam & sapientem curam compensare voluisse

videntur publicae maioris societatis statores & ministri. Ista siue leuitas siue temeritas, variis externis regi solita consiliis, multos a salubri docendi & monendi abduxit via; locum vero fecit calidis & perpetuis litibus; quarum sacra quasi memoria Haeresium pestiferarum, & diuisarum ab ecclesia sectarum nomine, facilius doctorum odia in alios promouit, quam merita vera ad nos transmisit. Nunquam nec Christus nec quisquam apostolorum docuit, nostrum omnino esse, accuratius aliquid de iis statuere rebus, quae ab ipsis non clarius ac distinctius informatae fuerunt. Huic, cui tempore progrediente multi sese dederunt, praecipiti vanitati, eas etiam debemus, tam maligni ingenii lites, quas inde a tempore Noeti, Sabellii, Pauli Samosateni, Arii, Apollinaris, Marcelli, Nestorii, Eutychis, nondum componere potuerunt tot numero scriptores dogmatici. Nec id vitii tantum aut praecipue tribuimus calidioribus aduersariis, e catholicarum partium ordine; eadem intemperantia peperit illa decreta, quibus catholici oppugnabantur, quasi, aeternum bellum christianis contra christianos gerendum non minus esset, quam contra vitia & peccatorum tristem consuetudinem. Ista docendi dissimilitudo, non sine ratione commoda, cum etiam nostram aetatem diuidat: nobis est propositum, quantum per nos fieri, breui quidem scriptione poterit, pauca dicere, ad infringendam eorum sententiam, quae publicam doctrinam eam praefert, Christum merum esse hominem, eique itaque societatem summae, quae Dei est, naturae, eripit; quasi falsis tantum opinionibus, non vero Apostolicis sententiis & decretis nixam. Recte vero, vt nobis persuasum habemus, catholica pars propter clara S. S. testimonia, tenuit contrarium; & statuit, non, nisi ab iis contradici, qui ea mente talium locorum interpretationem aggrediuntur, vt ne ea videant & legant, quae primo adspectu sub legentium oculos, scilicet partium nondum studiosorum, cadunt. Larga Messis, atque fatemur, non raro iusto amplior, locorum N. T. solebat a catholicis opponi contrariae sententiae; nec graeci nec latini doctores semper tantum studii posuerunt in luculenta demonstratione historica, hermeneutica, quam in corradenda locorum copia, quibus duplicem Christi naturam & statum exsistentem efficerent; vt praeter istam humiliorem, quam inter nos homo iam egit prouinciam, etiam diui-

ni-

nitatis verae eminentiam, & summae naturae participationem tribuerent τῷ μονογενεῖ, τῷ υἱῷ, κατ' ἐξοχήν, λογῳ, qui θεος semper iam fuerit apud patrem, τον θεον των ὁλων. Recte sic decreuisse catholicos statuimus, secutos auctoritatem apostolorum. Quod vero alicubi *modum* etiam & caussam horum nominum internam explicare quidam ausi sunt sic, vt etiam hos refutarent & damnarent, qui mallent abstinere ab ista sedulitate: id minus laudamus. Sed angusti libelli nostri fines nos non sinunt, magnam hic locorum, huic consilio, ex theologorum sententia, sauentium, multitudinem, & omnem, qua iis opus est, litterariam copiam recensere. Cum praeterea huius tractationis prima pars, quae tres ante annos in lucem est edita, ea contineat, quae ex Ioannis euangelio omni iure huc pertinent: nos inprimis quaedam elegimus carmina eximia, ex *Pauli* epistolis; quae eamdem, prima iam in parte studiosius defensam θεολογιαν, de Christo continent. Quodsi vero cui placeat, praeter illa nostra carmina, idem argumentum ex aliis S. S. locis proponi solitum legere: is adeat Venerandi *Danouii* nuper excusum libellum academicum: *Locorum quorumdam scripturae sacrae: diuinitatem Iesu Christi probantium explanatio.* (1)

§. II.

Ad rem itaque ipsam accedamus. Praecipum quidem locum ad Catholicorum doctorum propugnandam sententiam, desumimus, post plures Patres & scriptores nostros dogmaticos, ex primo epistolae ad Ebraeos capite; cuius praecipue primi quatuor versus coniuncti cum decimo &c. Thesin illam non parum confirmant:

(1) Paucis liceat obseruare: non incommode forsitan rationem quasi reddi posse huius rei, quod *Paulus* & *Ioannes* in explicanda *theologia* hac tam luculenter conueniant. Paulus per istas Asiae minoris partes praecipue aliquot itinera confecit, in quibus *Ioannem* tandem post relictam Palaestinam, bellorum imminentium caussa, plures per annos haesisse, constans fere est veterum traditio. Istas prouincias & vrbes *alexandrinorum Iudaeorum* multi adire solebant & ibi morari; liberalior esse solebat illorum cognitio, & intelligendarum rerum diuinarum quaedam laetior consuetudo, quam in Palaestina locum inuenerat. Itaque augustiorem theologiam illi graeci Iudaei facilius admittebant, quam Palaestinenses, qui humanarum suarum rerum instaurationem a Christo tantum exspectabant.

scriptorem huius Epistolae hic Christo studiosius tribuere naturam ab omnium conditarum ὑποστάσεων natura seiunctam, itaque diuinam. Non superfluum iudicamus, paucis tantummodo admonere, quaenam huius componendae epistolae Paulo fuerit ratio;(2) nam & haec, si satis stabilita fuerit, non leue nostrae sententiae iam pondus addet. Potissimam, vt in ceteris epistolis, Apostolus etiam in hac, operam nauat, euellendae male praeconceptae opinioni, qua Iudaei, iam inde longo tempore, prae aliis gentibus, suam nationem solebant summo in loco habere; quod vnica sit tantummodo gens, quae gratuita Dei beneuolentia ac singulari eius beneplacito prae caeteris cunctis gaudeat. Praeter istam falsam descriptionem graecam, Deuteron. XXXII, qua variis angelis subiectae credebantur aliae gentes, Israel vero dei propria sors habebatur, maiestatem legis, quam a Mose, angelorum splendido ministerio eam in rem vso, promulgatam iactabant; quam rem vel illae partes Epistolae attingunt, Cap. II, 2, ὁ δι' ἀγγελων λαληθεις λογος, (vt vos Iudaei rem illam praecipue describere soletis;) v. 5, ᾧ γαρ ἀγγελοις ὑπεταξε την οἰκουμενην την μελλουσαν, (vti vos soletis describere statum *mundi* ante Christum) etiam v. 16. tangit istas iudaicas ideas. &c. Quibus, vt solet, Paulus & hic respondet opinandi aberrationibus, aliasque grandiores notiones de Christo lectoribus suis, de dei consilio ingenti, quod per Christum consequi voluerit, ob oculos ponit, vt sensim ista abiicerent, & dignius de vera Christi prouincia iudicare discerent. Docet itaque nostram hanc oeconomiam esse longe excellentiorem; non solum ratione auctoris, cui angeli omnes tamquam serui semper subiecti essent, per quem hoc vniuersum procreatum sit, licet huius oeconomiae ratio sic tulerit, vt maximorum consiliorum caussa, Christo etiam moriendum fuerit; sed etiam *ratione vniuersae* constitutionis atque indolis, qua iudaei etiam falso superbiebant, iactantes per sacrificia ista, toties repetita repetitorum peccatorum veniam a deo impetrari. Hic ne animi Hebraeorum, quod verendum erat, ob historiam & famam Christi iam occisi turbarentur, atque a christianismo auerterentur: Paulus inprimis operam dat, vt ostendat, κρειττονα atque grandia omnia etiam conuenire multo

(2) Pauli esse occupamus; auctorem facile patimur seiungi a scriptore, si qui velint.

to magis in nouae religionis, cuius Messias auctor sit, hanc indolem. (3) Ablegamus autem ad V. S. V. *Noesselti* disputationem, de tempore, quo scripta fuerit epistola Pauli ad Ebraeos: & ad *Baumgartenii* commentarium germanicum, cui praefatus est S. V. praeses.

§. III.

Epist. ad Hebr. I, 1–4., inde –14. coll. capite VII, 3. (4) Ipsum Epistolae initium tentabimus ista paraphrasi illustrare diligentius. 1. Noster omnino ille honor est, quod deus iam antiquitus per tot prophetas & doctores extraordinarios saepe maioribus nostris institutionem salubrem impertitus est; sapientissime vtique, & per oeconomiam, per partes, non effusa statim omni cognitionis melioris copia; & benignissime non vno genere reuelationis vsus; per somnium, per visionem, per ecstasin, per agitationem mentis &c. Sed idem deus, postquam diu abfuerat a nobis & *nebuah* & *ruach hakkodaesh*, isto, quod superarat ad finiendam illam vniuersam religionis pristinae oeconomiam,

(3) Nobis iam non licet copiosius ea repetere, quae pertinent ad historiam opinionum, de auctore, de tempore & occasione huius Epistolae.

(4) Breuiter tantum attingimus, nos non improbare *Whistoni* hanc sententiam, qui cap. VII, 3. praecipue vult ad descriptionem eius notionis adhiberi, quae informanda sit de *filio dei* (*an Account of the primitive Faith* article VI. pag. 113.); licet non omnino ei consentiamus, quod postea, (pag. 133.) non vult admittere phrasin ἀπαυγασμα της δοξης, Hebr. I, 3., quia sit *metaphora*; nec lumen solis *coaeuum* sit soli; itaque eam ideam, quae innoluit *emanationem* filii a patre necessariam, non esse facilem ad intelligendum, nisi habeamus rei expressa testimonia. Nos iam de hac re, quia *modum* nobis facilem tantum attingit, non agimus; ista vero obseruatio ex cap. 7, 3., satis clarum testimonium dicit, de sententia, quam epistolae auctor hic descripsit. Melchisedec *isto nomine & omine* comparari potest, cum τω υἱω τε θεε, seu in *filii dei* descriptione illud idem inuenitur, quod in Melchisedeci ista descriptione. *Vterque* vero μητε ἀρχην ἡμερων μηδε ζωης τελος ἐχει. Sic ibi descriptus rex Salem, est ἀφωμοιωμενος, vt negare non potestis, illi υἱω τε θεε, quem capite primo, ex variis partibus veteris testamenti descripsi. Ergo *filius dei* non valet *tantum* de homine Christo, vt *Photinus* & alii decernebant; aut de prouincia *humani*, iam demum nato imposita, tantum intelligendum est.

posteriori tempore, (5) misit *filium*, & per eum *nobis*, multo perfectiorem cognitionis salubris & religionis modum patefecit. (*Nobis*, inquam; nec enim desunt *ex nobis* Iudaeis, qui interfuerunt αὐτόπται & ἀκροαται, testes *noui foederis*, noui & perfectioris ordinis verae religionis, vt iam porro non supersit iusta auctoritas, ad retinendum veterem paternae religionis modum). 2. *Istum* enim *filium*, haeredem quasi & dominum vniuersorum constituerat, inde ab initio mundi; per quem filium adeo deus ipsa secula, omnia olamim, primum produxit. 3. Atque ille quidem, vt (6) semper erat maiestatis illius summae splendor non impar, atque character integerrimus perfectionis infinitae, quam deus possideret; vtque idem filius ista cuncta, quae praeter deum sunt, omnipotenti mandato suo, supportabat: sic mirum non est, eum, postquam per se ipsum, qui omnes pontifices, superabat, peccatorum purgationem effecerat, quibus homines omnes impuri & foedi fieri solebant, ad dei illud solium, publice, spectantibus adeo discipulis, rediisse, nec inter homines porro versari. 4. Hac ratione eo luculentius iam nobis patet ista eius praestantia, qua omnes tot ordinum, (vt soletis distinguere) angelos superat, quo certius est, illud nomen, quod ipsi semper fuit proprium, longe esse augustius, quam vt vmquam angelis tributum inueniatur. 5. Nec enim reperietis vmquam istis in libris vestris, deum isto honore affecisse aliquem angelorum, Tu filius meus es, (τὸ θεὸς υἱος, θεος, cui παν το πληρωμα της θεοτητος, πληρεσατη θεοτης, ἡ δοξα, perpetuo inest); ego hodie te genui, (mihi). Atque iterum, ego me patrem illi praestabo; atque ille erit mihi filius; (hominibus etiam opportuno tempore te talem prodam); (ἐν ᾧ εὐδοκησα, ὁ ἀγαπητος, non semper ignorabitur ille honor ab hominibus; δοξασω τον υἱον μὲ, ad homines, iusto tempore; *in sinu meo*, εἰς τον κολπον τὸ πατρος eum semper fuisse

(5) ἐπ' ἐσχατὸ των ἡμερων, Paulus alibi Galat. 4, 4, ὁτὲ ἠλθε το πληρωμα τὸ χρονὸ, sub finem eius temporis, quod destinatum fuerat veteri oeconomiae nostrae; a cuius fine solent nostri Messiam exspectare, nouarum rerum auctorem.

(6) ὢν, plane sicut Paulus Phil. 2, ὑπαρχων ἐν μορφῆ θεὸ: atque 2 Cor. 8, 9. πλουσιος ὢν, cum antea esset. Ioh. 1. ἦν semper erat. Phrases postea illustrabimus.

fuisse discent); Atque porro, isto alio in carmine, quod describit quasi pompam introducti illius primogeniti ad capessendam orbis terrarum prouinciam: omnes angeli dei honorem maximum ei praestanto. 7. De angelis quidem non ignoramus illam sententiam dictam: qui facit, vt ei lubet, angelos suos venti turbines, & ministros suos flammantem ignem. 8. De filio vero illo longe grandius est illud carmen: Tuus thronus, deus est, in seculum seculi (aeternum regnabis); sceptrum, quod tu rex geris, est sceptrum iustissimum, (ergo perpetuum, non auferendum). 9. Iustum & rectum promoues; omnem iniquitatem cohibes. Itaque deus, deus, inquam, proprio omine tuus, te vnxit, oleo quasi incomparabili, vt nemo ex iis, qui in regendi quasi aliquam societatem veniunt, tecum possit ista in δοξα comparari. 10. Ad hunc filium & illud dictum est, tu, o domine, inde ab initio & terram illam fundasti, & caelorum illam multitudinem tu sic exornasti. 11. Sed tamen & caeli illi desinent & nouis aliis locum facient; tu vero permanebis (& nouorum rex); Omnes, inquam, caeli, vt sit vestimento, quasi vetustate consumentur; si voles, quasi amictum conuolues, alium in vsum, pro tuo arbitratu; tu vero manes ille idem; &, si liceat annis describere te regem, numquam finis annorum tuorum erit. 13. Tandem ignorare non potestis, numquam vlli angelorum a deo istum honorem additum fuisse, sede mihi a dextra, satis securus; aduersarios enim tuos quasi scabellum pedum tuorum exhibebo? 14. Nonne potius ex istis vestris libris V. T. didicistis, omnes angelos tantum ministerio fungi, atque seruitii caussa mitti solere a deo, si quos pios homines ex variis periculis liberari vult deus?

§. IV.

Breuiter iam potiores phrases graecas & rem ipsam illustrabimus; nec enim id agimus, vt *theologorum* nostrorum, aut aduersariorum omnia quasi studia recenseamus. Multa hic conueniunt cum Pauli variis locis & Ioannis Euangelio; atque vel ipsa illa diligentia colligendorum locorum veteris testamenti, quae in hac Epistola adhibetur, facile persuadet, eam non destinatam fuisse hebraice legentibus & loquentibus, sed *graecis* Iudaeis, quibus ista translatio των LXX. dici solita, iam soleret in vsu esse; ita-

itaque eo minus historiam sciebant, qui coniiciebant *hebraice* scriptam esse epistolam; quia hebraica legendi & intelligendi consuetudo non patitur, non finit, talem inire interpretandi rationem, ac ex c. v. 7. 10. occurrit. Graeci vero Iudaei, quod scimus, partim ex *Philone*, partim ex tot nouis scriptionibus pseudepigraphis, quae claris nominibus veteris testamenti tribuebantur, adsueti erant copiosiori explicationi. Itaque Palaestinensibus Iudaeis minime aptari poterat ista interpretandi & docendi consuetudo, qui Rabbinorum decretis domesticis obsequebantur. Dedit igitur & hoc auctor huic genti, vt laudaret ista quasi propria decora (7); *patres*, inde ab Abrahamo recensiti; θεος ἐλαλησεν, quasi nostrae gentis deus, neglectis tantisper gentibus. באחרית הימים, ἐπ' ἐσχατϛ, (quae est verior lectio), των ἡμερων τϛτων, scil. qui dies adhuc pertinent ad antiqui foederis ambitum, ἐπι συντελειᾳ τϛ (τϛτϛ) αἰωνος, cum instare dicitur *regnum dei*, amplissimi ominis, etiam gentes omnes complexum. Ἐλαλησεν, docuit nos longe alia, quam quae solebamus ipsi definire. Occupat auctor quasi satis notam illam doctrinam Iesu Christi, quae dicebatur legem & Iudaismum euertere. Iesus ipse, praecipue in sermonibus, quorum indicem recitat Euangelium Ioannis, ad deum auctorem retulit omne doctrinae suae argumentum; Mosis etiam & prophetarum testimonia sibi conuenire, & sic τελος νομϛ, seu Veteris testamenti, esse, docuit. Iam istud nomen, *filius dei*, ὁ υἱος τϛ θεϛ, ἐξοχως, quod nec Palaestinensibus ignotum fuit, auctor diligentius explicat, v. 2. 1) Deus filium suum constituit, aeterno scil. decreto, haeredem seu dominum (8) vniuersorum. Nempe non *latine* intelligendum est nomen haeres, quasi *post patrem*, vt so-

(7) Sicut Rom. 3. ἐπιϛευθησαν τα λογια τϛ θεϛ, & Rom. 9, ὧν οἱ πατερες, αἱ διαθηκαι &c.

(8) Dominium in omnia, sic describitur; res eadem legitur etiam Eph. 1, 20 seq. & alibi, Filius primus, haeres, dominus. Sic Actor. 13, 19. κατεκληρονομησεν, illam terram Israelitis Deus tribuerat. Ignorare nos non licet, quanta sit filii magnitudo. Non exspectare possumus, regnum *externum* in terrarum orbem; filius est cum patre dominus *vniuersorum*. Sic multi iam istud Sirac. 51, 10. notarunt, ἐπεκαλεσαμην κυριον, πατερα κυριε μϛ, quem locum *Grotius* tam clare *pluralitatem* ὑποϛασεων designare putauit, vt statueret a christiana manu esse; itaque & Iudaei veteres prohibuerunt legi librum Ben Sira. vid. *Calmet* in praef. Siracid. & *Lami* de trinitate.

solent homines haereditatem consequi, qua domini priores iam carent; sed *cum deo patre*, socius dei, omnium dominus est filius ille, cui sic fuerunt ἴσα τῳ θεῳ. Simillime Iesus in Ioanne saepius loquitur, cap, V, 19 seqq. c. VI, 46., ὁ ὢν παρα τϐ θεϐ, v. 62, ὅπϖ ἦν τὸ πρότερον, vnde toties *missus* dicitur, exisse a patre & venisse in mundum, & describit cap. 17, 5. gloriam, quam habuit apud deum, προ τϐ τον κοσμον εἶναι, &c. Res eadem dicitur, Matth. 28, mihi data est (a deo) omnis ἐξϐσια, licet istud Euangelium aliis lectoribus destinatum non prodat tales descriptiones. Videtur autem haec phrasis, κληρονομον παντων simul referri ad Ps. 2, 8, δωσω σει ἐθνη την κληρονομιαν σϐ, quod carmen Iudaeorum opinionibus male detortum fuit, quasi gentium ἀπωλειαν portendat. Rei autem iusta cognitio, quae serius locum habuit, distinguenda est a re ipsa. δι ὃ καὴ τὺς αἰῶνας ἐποίησεν idem Ioannis cap. I, 3. dicitur πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, quod conuenit hic cum v. 10. Vox καὴ optime, vertenda est, per *quin immo*, vt quasi orationem exaltet. (9) Τὺς αἰῶνας, huic voci lucem dabimus ex cap. XI, 3, nostrae epistolae, vbi de eadem re dicitur, quam huius loci sensus & hic vult; nempe de prima illa huius mundi productione, quae Genes. I. describitur. Temporum aliquod quasi definitum interuallum inuoluit ille pluralis, qui saepe legitur, εἰς τὺς αἰῶνας των αἰωνων, ὁ αἰὼν ὗτος, & ὁ μέλλων, seu ἐρχομενος τα τε. λη των αἰωνων. Sed iam nobis non opus est ista diligentia graeca. Articulus, τὺς αἰῶνας, *vsitatum* significatum posuit. Sic dicitur Sirac. 24, 9. προ τϐ αἰωνος, itaque ἀπ' ἀρχης, ἔκτισε με, atque ἕως αἰωνος ὃ μη ἐκλιπω. Ista προσωποποιια, sapientiae debet notari, & vsus loquendi ap. Philonem, qui τον λογον, auctorem κόσμϐ facit, & materialem caussam nominat 4. στοιχεια, qui & δευτερον θεον dixit, atque talia, vt multi eruditi viri statuerunt, ex *libro Sapientiae* cap. 7 seqq. & *Siracidae libro* sumsit; alii post eum. Istum vsum loquendi tantum ideo repetimus, vt appareat, sine liberali & hermeneutica ratione *Socinianos* τὺς αἰῶνας torquere, vt sit sensus: deus per Christum *aliqua* fecit secula, noua & feliciora; huius significatus, παντα & τὺς αἰῶνας esse initium Euangelii, fidem facere nemo potest.

(9) Augendi aliquam vim habet, scribitur in commentario *Crellii* & *Schlichtingii*. Nobis autem non persuadent, non agi hic de *creatione* illa, quam Moses describit. Ποιητικην δυναμιν, dixit Deum, Philo ergo & rerum, των ὀντων.

potest. Si itaque partim ipse scriptor est interpres rei propositae, partim alia exstant, pro confirmatione sententiae S. S. testimonia: intelligimus, catholicis doctoribus minime iustam defuisse auctoritatem, cum Ioh. I. & similes sententias; cum hoc loco componerent. Sed porro 3) istam partem, quae constat v. 3, illustrabimus. Vti in aliis Epistolis, Iacobi etiam, non rara est repetitio ex istis graecis apocryphis, sic & istae sententiae versus 3. non obscure conueniunt cum illa parte libri Sapientiae VII, 24. 25. ἀτμις γαρ ἐστι (σοφια) της τϑ θεϑ δυναμεως, και ἀπορροια της τϑ παντοκρατορος δοξης εἰλικρινης· – ἀπαυγασμα ἐστι φωτος ἀιδιϑ, και ἔσοπτρον ἀκηλιδωτον της τϑ θεϑ ἐνεργειας, και ἐικων της ἀγαθοτητος αὐτϑ. Non obscura sunt vocabula. Απαυγασμα (10), dicitur, lucis refractio. Hic filius, cum esset, ὠν, ei impertita a deo θεοτης, δοξα θεϑ, (atque fatetur vel *Schlichtingius*, rem *eamdem* describi Phil. 2, 6.) ipse (venit in mundum, σαρξ ἐγενετο, &) purgationem peccatorum effecit, atque sic rediit ad patrem, a quo exierat, sicut ipse Christus in Ioanne loquitur. Filius idem *erat* χαρακτηρ της ὑποστασεως τϑ θεϑ. (11) Non redit in libris N. T. hoc nomen, sed frequentissimum est aliis auctoribus graecis. Euripidi idem est ac signum s. nota; Aristoteli id, quod imago monetis impressa. Diodoro siculo, idem ac facies aut eius potius lineamenta. Philo (12) vero in libro: *de mundi opific.* de quacunque adhibuit forma s. figura: e. g. pag. 15. scribit τὴν δ' εμφερειαν μηδεις ἐικαζετω σώματος χαρακτηρι (in mente, non in figura cor-

(10) *Clemens* ille romanus non obscure hunc locum repetit, paulo aliter, epistolae c. 36, ὁς ὠν ἀπαυγασμα της μεγαλοσυνης αὐτϑ, τοσϑτω μειζων ἐστιν ἀγγελων, ὁσω διαφοροτερον ὀνομα κεκληρονομηκεν. Non raro inuenitur hoc nomen impropriie, Gregorii Nazianzeni locum ex orat. 43. attulit Beausobre: angeli sunt φωτα δευτερα, τϑ πρωτϑ φωτος ἀπαυγασματα. Idem & Philonis locum notauit: omnis homo κατα μεν την διανοιαν ὠκειωται θειῳ λογῳ, est enim, γεγενως της μακαριας φυσεως ἐκμαγειον, ἠ ἀποσπασμα, ἠ ἀπαυγασμα. Cur ergo Whistonus nolebat tropice describi filium dei, hoc modo satis facili?

(11) Μιμημα τϑ Πατρος dicere liceret, sicut *Philo* templum dixit caeli απαυγασμα & μιμημα ἀρχετυπϑ, locum post Vener. *Ernesti*, eruditissimus auctor exercitationum in Epistolam ad Hebraeos repetit, & alias phrases addidit, τυπος & χαρακτηρ θειας δυναμεως (hic ὑποστασεως), vt non opus sit plura a nobis inde describi.

(12) Quae sequuntur apud *Westtenium* & *Beausobrium* exstant.

corporis). Alibi idem ἐπει δ' ὁ συμπασα εἰκων ἀρχετυπω παραδειγματι ἐμφερης, ποῖλαι δ' εἰσιν ἀνομοιοι, προσεπεσημηναντ' εἰπωντω κατ' εἰκονα, το καθ' ὁμοιωσιν, εἰς ἐμφασιν ἀκριβες ἐκμαγειᾳ τρανον τυπον ἐχοντες. Alibi τυπον τινα και χαρακτηρα θειας δυναμεως. Item: τᾳ θειᾳ και ἀορατᾳ εἰκονα — ἀσιωθεισαν και τυπωθεισαν σφραγιδι θεᾳ, ἡ ὁ χαρακτης ἐστιν ἀιδιος λογος. (13) In LXX. varie sonat: Leuit. XIII, 28. de cicatrice dicitur χαρακτης κατακαυματος. Patrum eiusdem vocis interpretatio fere est eadem, quasdam eorum adiiciamus. Gregorius Nazianzenus ita scribit Oratione I. de Filio: υἱος, μονογενης ονομαζεται, ἡ ὁδος και ἡ αληθεια, ζωη, φως, θεᾳ δυναμις, θεᾳ σοφια, ἀπαυγασμα χαρακτης, εἰκων, σφραγις. Porro Chrysostomus in Homilia 2. in epistolam ad Hebraeos sic commentatur haec verba: τι δε φησι; και χαρακτης τῆς ὑποστασεως αὐτᾳ, οἱον ὥσπερ ἐστιν αὐτὸς ἐνυποστατος, ὡδενος δεομενος ἅτω και ὁ υἱος. Ενταυθα γαρ το ἀπαραλλακτον δεικνυς τᾳτο φησι, και τον ἰδιαζοντα χαρακτηρα τᾳ προτοτυπᾳ, ὡς ἐν ὑποστασει ἐστι καθ' ἑαυτον. Eodem fere modo reliqui patrum exponunt, Basilius, Athanasius, Theodoretus, Cyrillus, Alexandrinus, Gregorius, Nyssenus &c. His si comparamus locum ex epistola Pauli ad Colosss. cap. I. v. 15. vbi Christus τᾳ θεᾳ εἰκων dicitur, non dubitamus, quin vtroque loco prorsus eadem dicantur, & continuata Christi cum patre comparatio iam indicat, Pauli fuisse propositum, eamdem filio adscribere summam naturam, quae est Patris. Nec negligendum videtur testimonium Hesychii, qui ὑποστασιν per προσωπον (personam) bene explicat & χαρακτης per ὁμοιωσιν. Quod igitur ad rem attinet, hic descriptam, auctor istas fert sententias; deus socium dominii sui constituit filium; per filium adeo omnia produci voluit. Filius *itaque* erat particeps της θεοτητος & δοξης, & expressa perfecta imago beatissimae summae naturae; nec defuit, post rerum omnium conditionem, per filium effectam, inde ab omni aeuo, demonstratio perpetua, eius potentiae summae,

 quam

(13) λογος & υἱος idem; dixit igitur & Philo υἱον, χαρακτηρα dei. Itaque & Clemens alex. Stromat. 7. in Psalmi 24, 6. qui quaerunt *faciem* dei Iacob, hic τον σωτηρα dicit *deum* designari, cum *facies* dei dicatur. Idem repetit alibi, προσωπον τε θεε ὁ λογος, ᾧ φωτιζεται ὁ θεος και γνωριζεται, atque isto priori in loco χαρακτηρα exponit: τον διδαξαντα την αληθειαν περι τε θεε, και χαρακτηρισαντα.

quam θεος ipſe, τϐ θεϐ υἱος, ſemper adhibuit. Ὑποστασις τϐ θεϐ, Rom. 1, 20. τα ἀοϱατα αυτου eſt, δυναμις και θειοτης, deus potens, ſapiens, bonus &c. ſeu omnia, quae deo non poſſunt non ineſſe; itaque poſtea *naturam* dei etiam quidam dixerunt, graece ὑποστασιν, ſed ex hoc loco auctoritatem falſo repetierunt, longis litibus. Iam vero, φέϱων τε τα παντα &c. porro comprobant iſtarum deſcriptionum veritatem, ſemper ſe ille υἱος deum, dei ſocium, geſſit; *exegeſin* dicere licet ſuperiorum. Nec enim auguſtius & diuinius aliquid dici poteſt, quam *portare*, ſuſtentare, omnia, (τϐς αἰωνας antea) mandato ſuo, quae eſt ſumma potentia. Nam φεϱειν ἐνεϱγειαν declarat, qua rerum omnium duratio efficitur: Chryſoſtomus iam per κυϐεϱνειν explicat, quod & ad conſeruationem pertinet; (*Philo* ſimiliter deus παντα φεϱων. Vid. Vener. *Carpzouium*, (14) 4) ſupereſt illa ſententia: δι' ἑαυτϐ καθαϱισμον &c. Certum eſt ſuperiores ſententias *praecedere* hanc illam hiſtoriam filii hominis, per quem deus nouae religionis ordinem, ſublata veteri omni oeconomia, prodidit. Res ipſa oculis legentium patet, hic tantum de vltima parte vitae Chriſti inter homines actae narrari; de morte; igitur cetera hiſtoria humana hic occupatur, quaſi tot narrationibus ſatis celebrata. Deſcribitur autem ipſum conſilium dei, cuius cauſſa miſit iſtum filium: vt Iudaeorum caerimoniis cunctis ſublatis, quibus *purgationes* peccatorum fieri dicebantur, per ſacrificia & hoſtias ex animalibus, meliorem religionem, omnes boni & caſtiores hiſtoriae Chriſti ſpectatores intelligerent. δι' ἑαυτϐ luculenter reſpicit ad ſacrificia iſta, quae hircis & aliis animalibus fiebant. vt 1 Ioh. 2, ἱλασμος eſt Ieſus Chriſtus, non ſolum pro noſtris, ſed & pro peccatis

(14) Iam, quaeſo, quam eſt imbellis *Sociniana* deſcriptio: Chriſto iubente quieſcebant maria, venti, morbi &c. *Omnia* Φεϱων, Schlichtingius dicit eſſe reſtringendum ad ea, quibus Chriſtus in terris impetrabat, morbi, mortes, elementa, daemones; Φεϱων, eſſe *agitare*, *mouere* pro lubitu; (in diſputatione contra Balthaſ. Meisnerum). Non ignoramus *Meisnerum* & non raro alios ſcripſiſſe alicubi minus diligenter contra *Socinianos*; ſed hic elabi anguillae non poſſunt. Vim hiſtoricae & hermeneuticae interpretationis non poſſunt declinare: *occupatur* hic πϱοϋπαϱξις huius υἱϱ, ante Ieſum, qui Chriſtus & filius dei, alio poſtea ordine dicitur. Filius ὠν, *cum eſſet*, Φεϱων, cum gubernandis cunctis par eſſet, (miſſus fuit ad homines &) poſtquam effeciſſet &c.

tis omnium hominum, quos κοσμε nomine Iudaei distinguere solebant. Homines omnes, (nam ἡμων rectius abest) per peccata *sordes*, & foeditatem contrahunt; itaque deo se displicere non ignorant, atque varias caerimonias peragere solent, quibus deum placari, & se quasi ablui & purgari sperant. Sed deus per hunc filium, qui sic Messiae omen & prouinciam longe maximo & perfectissimo iure expleuit, hominibus proposuit verum ordinem exuendis omnibus sordibus & squaloribus aptissimum. Huic filio, dei beneuolentiam sic omnibus pollicenti & homines optimam religionem docenti, fidem haberi vult deus; quam caussam sermones Christi in Euangelio Iohannis mirifice explicant, variis modis. Succedunt in persuadenda hac doctrina Apostoli, qui similiter non vnica rei describendae imagine vtuntur; praecipue ex leuitico apparatu, si cum Iudaeis agunt. Itaque & his Hebraeis haec epistola inde a cap. 5. exponit, longe maximi *sacerdotis* personam in Christum conuenire. Sic omnem timendi causssam omnino sublatam esse, & ἀθετησιν ἁμαρτιας maximo sensu locum habere. Iam porro 5) veterem & ignauam opinionem corrigit, quae regnum Messiae humili omine in terris exspectabat, & indignam superstitionem continuabat: postquam filius dei peregit, quod peragendum hoc tempore deus constituerat, ἐκαθισεν ἐν δεξια της μεγαλωσυνης ἐν ὑψηλοις, collocauit se ad dextram diuinae maiestatis, seu dei; & regnum, quod deus filio tribuit, 1 Cor. 15, 25. iam continuat, dei συνεδρος, Iudicem porro se palam gerens & dominum.

§. V.

Pergit Apostolus Ebraeos hoc docere, Christum angelis cunctis praestare, minime ergo tantum regem in illa terra exspectandum esse. Γενομενος, *hac ratione*, post illam παρουσιαν inter homines; itaque & diligentius solent interpretes referre ad Christum *hominem*. Quicquid iam dicere & scire possumus, post finitam prouinciam inter nos, pertinet ad longe augustiorem Christi historiam, quam vt in terra agere porro possit. Angelos scimus a deo adhiberi ministros hominum & rerum in humano orbe curandarum, v. vltimo; sed filium, (nec enim Messias est alius, quam ille filius dei,) deus vniuerso suo regno praefecit, postquam

defunctus est ista prouincia inter homines, quos potestati omnium angelorum nunc omnino exemit, ipse ὑπερανω πασης ἀρχης και ἐξουσιας &c. Ephes. I, 21. deus ei impertitus est, *nomen*, το ὑπερ παν ὀνομα, i. e. *vis*, Phil. 2. 9. 10. (14) *declarauit* iam illud, quod antea fuit minus notum, luculenter ad omnes prodidit; Colos. 1, 15 seq. 11, 9. 10. 15. Hac ratione facillime explicatur illa sententia, κρειττων γενομενος, non quod iam demum homo ille inter Iudaeos natus & versatus, a deo ad hoc fastigium elatus fuerit; sed quod Iudaei ignorauerint illum θεον, qui προς τον θεον semper erat; iam illa δοξα filii patefacta est. Γενομενος, logice, intelligere iam potestis, ex his, quae vobis expono, vt Rom. 2, 4, γινεσθω ὁ θεος ἀληθης, *cognoscere, fateri nos oportet*, deum esse ἀληθη. Sic sapientissime corrigitur illa Iudaeorum & Iudaizantium ignauia, qui Christum regem & dominum inter homines versaturum informabant. Talis cum sit prouincia Messiae, quae est haud dubie longe augustissima: proiicienda sunt omnia ista ludibria opinionum indignarum.

§. VI.

Iam v. 5. & sequentibus adhibet confirmandi illud genus, ex libris hebraeis melioribus seu praecipue frugiferis, quod fuerat his lectoribus non inusitatum; quo, praeter historicum, minorem, sensum, etiam *occultatum*, augustiorem, solebant in libris istis aucupari. Si qui malint, iam N. T. scriptores ex singulari dei reuelatione id sciuisse, non impedimus; sed tum minor est opportunitas ad istos lectores. (15) Possit tamen 2 Cor. 3, 5. 6. at-

(14) Luculenta est illa *conuenientia*, deus ἐχαρισατο illi ὀνομα, το ὑπερ παν ὀνομα, & hic illa sententia, κεκληρονομηκεν ὀνομα διαφορωτερον, seu κρειττον, μειζον.

(15) Non imperite *Schlichtingius* in hunc locum: ideo negat vllum vnquam angelorum his aut similibus verbis a deo compellatum fuisse, quod id nuspiam in scriptura sit expressum. Nec enim ex eo, quod sibi peculiariter reuelatum sit, argumentatur, cum & vbique scripturae testimoniis pugnet, & hoc argumentum *per interrogationem* ita proponat, vt appareat, *etiam illis ipsis*, ad quos scribit, praesertim ita monitis, *rem fore aut esse manifestam* &c. Atque vel solus *Philo* sufficit, vt quasi oculis nostris pateat, Iudaeos graecos isto interpretandi genere maiori, copiosiori, tum vsos fuisse; vn-

atque 1 Cor. 2, 7 seqq. eo trahi, tales interpretationes ex noua reuelatione Apostolos habere. Occupatur tamen simul rei ipsius praestantia vera & clara, cui siue haec siue illa carmina adaptari, apud istos lectores, poterant; non inuitis illis lectoribus, qui rerum deo dignorum non essent negligentes. Minorem historiam, tempore Dauidis definitam, adhiberi ad significandum regem illum, deo συνεδρον, non minus patiebantur, quam arcam foederis & templum esse indicem caelestis templi, &c. Crescere igitur & augeri posse cognitionem de *filio* illo dei, qui Messiae maximam prouinciam gerat. Istud autem σημερον (15) σε γεγεννηκα, rem eamdem dicit, quam auctor suis verbis dixerat, v. 2. & 3., vsque ad humanam historiam Christi. Similiter habet ista *Nathanis* sententia de Salomone *illo* dicta.

§. VII.

Paucis v. 6. consilio nostro adaptamus. Παλιν significat *iterum*, *alio loco*, vt fere est extra dubitationem. Τον πρωτοτοκον, est idem τετον, seu υἱον, idem nomen Philo sic coniungit, πρωτοτοκος, θεϐ υἱος, λογος, qui historicus nominis vsus vel solus *Socinianorum* omnem sedulitatem euertit; add. Colos. 1, 15. (16) Εισαγαγῃ, repraesentat ista descriptione introducendum in mundum, & *hominibus*, (οἰκεμενῃ) manifestandum praedicit, indicat. Illa

vndecunque semina *verum*, quas sic exponunt, acceperint. Fatemur tamen, hoc genus colligendi Iudaeis proprie istius temporis conuenire; nec esse omnino eius indolis, vt omnium temporum christianis etiam sit aptum.

(15) Σημερον, si deus loquatur, vtique *aliter* significat, ac si homines eo vtantur. Itaque iam *Philo* descripsit esse ἀπεραντον και ἀδιεξιτητον αἰωνα, in libro de profug. apud Vener. Carpzouium. Si de *Dauide* sumatur, vtique istud *tempus* designat, quo rex fuit proditus; si de humanae historiae Christi parte: similiter *tempus illud* ipsum designat, quo deus *declarauit*, aliam sententiam de Messia concipiendam esse, post tanta documenta, e. c. post resuscitationem ex morte.

(16) Ordo Pauli ibi est, ὁ υἱος της ἀγαπης, accepit a patre *regnum*, (vt hic κληρονομον ἐθηκε) is venit in mundum, & effecit, vt habeamus omnium peccatorum veniam, translati in istud regnum (caeleste, deo dignum;) Scire autem & discere debetis, esse eum *imaginem* (χαρακτηρα) dei, qui sensibus non subest; ergo nec in terrarum orbe regem agit ille filius dei; est πρωτοτοκος πασης κτισεως, ergo humanis voluptatibus non fruitur nobiscum

Illa οἰκουμενη, vt ſoletis informare, angelis variis diuiſa fuit; deus igitur praedixit, (17) per filium hunc omnem iſtam ἐξουσιαν, ἀρχην &c. ſublatum iri, adeo, vt dicamus, omnes angelos dei, (Elohim) adorare (Philip. 2, γονυ καμπτειν,) hunc dominum; vt deſinamus timere, (Hebr. 2, 14. 15., vt laeti vitam agamus ſublatis iſtis terrorum imaginibus, ἐισαγειν εἰς την οἰκουμενην, eſt idem, ac deſcribere natiuitatem τῦ πρωτοτοκῦ, τῦ μονογενῦς, inter homines; deſcribere venturum in mundum; mittendum, Galat. 4.; ſeu Hebr. 2, 14, participem futurum σαρκος και αἱματος. Iam omnes

cum &c. Harum notionum *hiſtoria* euerti non poteſt theologicis aut philoſophicis noſtris ſtudiis. *Hiſtoriam* inde a ſcriptionibus *Hermae*, Apoſtolicis illis patribus, Irenaeo, Tertull. *Origene*, ſatis certam habemus.

(17) Carmen illud eſt omnino ex Pſalmo 97, 7. licet *chriſtiani* quidam ſcriptores, *Iuſtinus*, primus, (vt plura paradoxa) in dialogo iſto cum Tryphone, excitarint ex Deuteron. XXXII, 43. Is ſic recitat, εὐφρανθητε ἐθνοι, ἁμα αὐτῳ (και προσκυνησατωσαν αὐτῳ, παντες ἀγγελοι θεῦ), και τα ἐξης τε λογε ἐπεφερον ταυτα, laudate gentes &c. Scimus autem ſic non legi in *Hebraico*. Iuſtinus paulo poſt dicit, in LXX. legi finem v. 8., ἀγγελων θεῦ, (loco υἱων ἰσραηλ, videtur compendio ſcribendi aberratum fuiſſe, ιλ, ισραηλ, legebatur *El*, hebraice, *dei*; υἱοι θεῦ autem, ἀγγελοι, atque ſic in *Clementis* hac Epiſtola legitur ἀγγελων, ſine θεῦ, ſic & in *Recognit.* Clement. & *Sedulio* (emel). Sed hic tacet de v. 43, cum tamen certiſſimum ſit, *Iudaeum*, ſi interfuiſſet, (ſicta eſt enim ſpecie dialogi;) minime admiſſurum, *totum nouam ſententiam* a chriſtiano homine ingeri. Eſt autem mira *varietas*; de *caelis* nihil in hebraico eſt; & *vnica* tantum propoſitio, de vindicta in *hoſtes*. Sed in *graeco* duplex editio ſimul legitur, 1) laetamini *caeli* cum eo & adorent eum omnes angeli dei; 2) laetamini *gentes cum populo eius*, & *confirment*, ἐνισχυσατωσαν, eum *omnes angeli*, (dei filii, aliter;) iam demum hebraica pergunt, quoniam ſanguis &c. *Vtramque* ſeu duplicem editionem vnius ſententiae *Iuſtinus* habet; de altera (poſt coelos) ipſe dicit, και τα ἐξης ἐπεφερον ταυτα, ſic enim iungenda ſunt, non diuidenda, vt in veteribus editionibus. Se *antea* non attuliſſe; *nunc* vero dicam. Iam recitat, ſic Moſen, fidelem dei ſeruum ſcribere. Excitauit vero *Sabaterius* tria latina manuſcripta, quae *omiſerunt* primam partem, quae *caelos* alloquitur. Semper vero *Hilarius* iam iſtas *duas* ſententias recitat. Iam vero cur in *Origenis Hexaplis hic nihil notatum fuit?* plane enim tacet *Origenes*, qui tamen hic *Obelum* adiicere debebat, ſi vmquam viderat oculis ſuis *talem* recenſionem graecam, ac *Iuſtinus* recitat! Sed & lib. 3. in canticum cantic. (pag. 75. edit. de la *Rue*) Origenes, vt latine habemus, ipſe legit: laetamini *gentes* (ſine *caelis*) cum populo eius, & *confortent* eos omnes angeli dei; (haec allegatio addenda eſt Sabaterio). Cur tamen in *Hexaplis* nihil annotauit?

omnes *scimus*, hanc οἰκουμενην, de qua praedixit Psalm. 97, 8, minime sub angelorum dominio, quod reuerebamur, futuram, Hebr. 2, 5. Operae non est pretium, *Socinianorum* istam sententiam refutare studiosius, qui non *terram hanc*, quam mortales incolimus, *sed caelestem illam* volunt intelligi. Hoc pertinet ad πρωτον ψευδος. Res clarissima est: Vos Hebraei *iam perspicere* potestis, veram prouinciam Messiae; deus praedixerat hanc saluberrimam της οἰκουμενης conuersionem; cessat iam omne illud angelorum quasi inter ordines diuisum regnum; deus filio, qui omnia condiderat & sustentabat, etiam terrarum orbem, (quem graeci Iudaei ex Deuteronomii XXXII, 8. 9. diuidebant angelis.) eiusdem regni prouinciam, addixerat; eam nunc tenet. Proiicite igitur istas veteres Iudaismi partes; informate regnum dei, deo dignum. Haec δοξα τυ μονογενυς, quam habuit iam ille filius *apud patrem*, προ του τον κοσμον εἰναι, hic describitur; non vero *hominis*, qui existendi initium habuit ex Maria, angelis iam praeficiendi &c. cur enim? Pergunt in eadem re describenda, sententiae v. 8. 9., quas iam Rabbini quidam de *caelesti rege* exponunt. Thronus tuus, deus est; ergo aeternus, & permanens εἰς τον αἰωνα τυ αἰωνος. Nec differt sensus, si hebraice intelligatur, thronus tuus (thronus) dei; haec est δοξα τυ μονογενυς παρα του πατρος, itaque vel casu quinto extulit *Aquila*, ὡ θεε. Nam qui sedet in throno dei, *deus* recte dicitur, Ioan. 1. Nec enim caussam inuenimus, cur auctorem de *humana* Christi natura *tantum* loqui, theologi quidam statuant. Porro v. 10. grandis oratio hunc filium describit, προς τον υἱον enim & hoc dictum esse. Συ κατ' ἀρχας κυριε &c. Prorsus haec conueniunt textui ebraico, praeter paucas transpositiones, quae forsitan ex eo fluunt, quod auctor, non verborum curabat ordinem, sed rei tantum erat studiosus. Itaque & nomen κυριε addidit ex LXX. κατ' ἀρχας nullum fundit significatum praeter eum, quo Ioannes euangelii initio est vsus, ἐν ἀρχη, *rerum*, praeter deum, *omnium;* Philo saepius sic vtitur. Durationem scilicet, quam prae ingenii nostri infirmitate nobis ante mundum sic cogitamus, sicuti Ebraeorum ברשית Οι ὀυρανοι. Quidam interpretum sibi persuasum habuerunt, Paulum, quoniam falsas opiniones ex mente iudaeorum deletum iuit, huic vocabulo insolentem subiecisse significationem; nempe elementorum,

aëris

aëris & aetheris. Iam Grotio in commentario ſuo placuit hanc recipere ſententiam, ſcribenti: coelorum nomine hic intelligi debet non ſuprema illa regio, ſedes diuinae maieſtatis & angelorum, ſed aër & aether, quae terram velut veſtiunt, vnde quae ſequitur, ſumta v. 11. ſimilitudo. Noſtra parum refert; nec Wetſtenium copioſius refutabimus, qui coelites, angelos per coelos intelligebat; Rabbini certe non raro idem faciunt; videtur tamen oppoſitio *terrae* & caeli, atque illud praedicatum, ἐργα των χειρων, & illud ἀπολεντα, luculenter obſtare. Sed id potius admonemus, mirum omnino in modum hic ſudare Socinianos, *Schlichtingium* praecipue: vt efficiat, auctorem iſtas ſententias, commate 10. ſcriptas, *non de Chriſto dixiſſe*, ſed tantum ideo perſcripſiſſe, quia v. 11. αὐτοι *referatur* ad antecedens. Imbellis omnino oratio; ſed nec iſtae *rationes* alicuius momenti ſunt, quibus ſe rem putat conficere. 1. Nuspiam ſcripturam commemorare opificem *ſecundum*, alterum, ſubordinatum, vt Ariani dicant. Nempe forte in *veteri teſtamento*. Chriſtianiſmo igitur opus erat hac cognitione, ne *filium* more Iudaico alii falſo humanis tantum rebus praeficerent, in regno mille annorum. Fuit μυστηριον, chriſtiani demum cognoſcunt filium: ideo *tam multi* ſermones Chriſti recitantur in Ioanne, ἱνα παντες τιμωσι τον υἱον ſicut patrem; ideo vera vitae aeternae idea, inuoluit cognitionem *filii*, σωτηρος ἡμων θεϑ, Tit. 2, 10. Aliter *nouum foedus* nullum locum habebat, ſi iam omnes articuli ſimiliter ſciebantur in veteri. 2) Alterum argumentum ducit ex *ordine* argumentorum; ſed hic illud vitium contrahunt hi interpretes, quod πρωτον ψευδος ingerunt, *effectum eſſe* Chriſtum demum *poſt mortem* ſuam, angelis praeſtantiorem. Dici debebat, *cognitam eſſe iam demum* θεολογιαν filii, minime vero, eum, nihil niſi hominem, *effectum* fuiſſe poſt mortem angelis nobiliorem. Obſtat c. 2, 8. & hiſtoria notionis filii, μονογενες, λογϑ, θεου. Auctor non iam docet, & narrat, quod *effectus* ſit hic Chriſtus angelis ſuperior; ſed quod ſemper fuerit filius, per quem deus *fecit* omnia, quae ſunt; vnde intelligere debeant, ceſſare angelorum illam διοικησιν, Chriſtum *etiam hominum* dominum nunc ſe manifeſtaſſe; ſed nec terreſtre regnum eſſe poſſe, cum caeleſte illud cum patre ſemper tenuerit. *Ignorabantur* haec praedicata ante Apoſtolorum doctrinam; incipit, *cognitio* filii clarior & verior;

ſed

sed non *incepit* filius dei ille. Idem ille ὁ ὢν ἐν μορφῇ θεϱ, cui conueniebant ἰσα θεῳ, ille πλουσιος ὢν, ὁ ὢν εἰς τον κολπον τϱ πατϱος, nunc inter homines versatus, *ignorabatur* antea aliquamdiu, ex dei sapienti consilio 1 Cor. 2, 7. 8. Haec est illa οἰκονομια, quam a θεολογια patres distinxerunt. Caelum & terram creauit; ὁ λογος est, δι' ϱ ὁ κοσμος, τα παντα ἐγενετο, ἐν αὐτῳ ἐκτισθη τα παντα, ὁρατα και ἀοραται. Hic, vt diximus, historiae & hermeneuticae ingenuae auctoritatem non reuerentur, qui *primordia Euangelii*, tantis sententiis, tam magnificis, describi volunt. Facillima est haec interpretatio; auctorem non minus loqui de filio, qui est, προς τον θεον, quam Ioh. 1. Itaque & recte, eodem iure, iungitur in formula baptismi, & πιϛευειν oportet εἰς τον υἱον, in talem Christum, quia aliter non locum habet πιϛευειν εἰς τον θεον, quem hic filius ἐξηγησατο atque sic Iudaismum & gentilismum fortissime expugnauit. Ex his putamus catholicorum definitionem satis defendi, licet non opus sit nobis omni isto veteri & scholastico apparatu, quo vsi fuerunt ad describendum hunc vel illum *modum*, qui coexsistentem deo filium vnice & optime informet. Itaque iam inde a seculo 2. alii interpretes, non vltro improbi aut contemtores christianismi, informarunt illam descriptionem, quae a *Noeto*, & *Sabellio* nominatur (ἀλογοι quasi); his oppositi *Ariani* discrimen *naturae* definierunt; hoc non admiserunt *catholici* doctores, isti porro ἐνσαρκωσιν, hi ἐνανθρωπησιν descripserunt; vtraque carere maluerunt *Photiniani*, a quibus Sociniani proxime absunt. Nos autem putamus, catholicos suo iure perstitisse in ista definitione, *illum*, qui hoc capite primo sic describitur, vti Ioh. 1. & alibi a Paulo, *omnino iam* propria ὑπαρξει non caruisse, antea, cum nondum deus per eum hominibus meliorem religionis formulam praeiret; & ipse nondum faceret καθαρισμον των ἁμαρτιων δι' ἑαυτϱ. Illum, δι' ὃν & δι' ϱ τα παντα c. 2, 20, profecto fuisse προ παντων, quod & clare dicitur Colosſ. I, 17, sicut v. 16. τα παντα per omnes species enumerantur. *Deum* igitur esse hunc filium & Christum, Paulus non minus dixit, quam Ioannes; *vere deum*, quia *finitorum* omnis ordo per eum demum productus fuit, clarissimo documento δυναμεως και θεοτητος. *Hominem* vero etiam, eadem sententia, locutus est deus *nobis per filium*, qui inter nos habitauit, & ἐξηγησατο, & clarissime c. 2, 14, sicut v. 9. etiam inuoluitur. Ceterae autem dogmaticae definitiones,

quas *ecclesiarum* illud discrimen inde a longe tempore varias & multas frequentauit: iam non sunt huius loci.

§. VIII.

His cum argumentis nostram sententiam firmam censeamus, cumque, vt secundum interpretandi regulas fieri debebat, hoc carmen a nobis tractatum sit: adeamus adhuc interpretationis vnius *Emlyni* examen, ab ipso in Vener. *Benneti* nouam de Trinitate theoriam institutum; quod in altera parte operum pag. 202. exstat. Displicet *Emlyno*, esse, qui de vi probationis commatis 10. sic sibi persuadeant, vt nostrae sententiae, quae Christi, filii dei summam naturam in eo deprehendit, annuant. A nostris itaque cum etiam Vener. *Bennetus* staret partibus, *Emlynus* suum putauit, eum aggredi, eiusque argumenta exagitare sequentibus. Asserit

I. Nullam loci alicuius accommodationem tantum efficere, vt sit idem subiectum; applicari ob similitudinem; *instrumento* ergo tribui hic idem nomen. Alii *Sociniani* obloquebantur: debere esse *idem* ac in Psalmo subiectum; itaque Christus erit deus ille summus; si hoc voluisset auctor: non opus fuisse istis obscurioribus. Nos autem prorsus negamus, sic aliquid recte obiici. Nam Apostoli ex more eius temporis saepissime adferunt loca V. T. ad aliud obiectum & subiectum describendum, vt hic v. 7. quod scriptori eius V. T. ex quo allata sunt, non in mentem venit. Auctori sufficit: his iam verbis describere hunc filium; quod ipsi Iudaei facere solent. *Bennet* contra Emlynum affirmauerat, auctorem Psalmi ipsum de Christo loquutum esse, quod & alii ex nostris facere solent; quia hac affirmatione ad sententiam suam magnum putabat pondus accedere. Nunc *Emlynus* negat esse demonstrationem: esse tantum accommodationem; minime vero auctorem Psalmi ipsum loquutum de Christo. Sed haec est *nostra* cognitio hebraica; *nos* igitur *non discimus* ex Psalmo illo: Christum esse *deum*. Bene. Sed *discimus* ex Apostolo: Christum esse *deum*, quia verba illa Psalmi ad Christum transfert; ideo autem transfert, quia his lectoribus operam sic dare poterat commodam. Itaque malumus fateri, Bennetum nimis praecipitem statuisse, in Psalmo de Christo ipso esse sermonem, sed hanc ob caussam argu-

gumentum noſtrum nihil roboris ſui perdit. Potuiſſet Paulus eamdem doctrinam ſuam aliis exprimere verbis, vti commate 2. 3. factum eſt, ſed quoniam ex propoſito eo tendebat, vt Ebraeos facilius conuinceret, eius generis profert argumenta, quae tum contradictione ſolebant carere. Paulus olim ad iſtam ἀκριβειαν interpretandi, tanquam eruditus Iudaeus, bene adſuetus, experientia magiſtra, non ignorabat, huiusmodi argumenta plurimum apud lectores ſuos tum efficere.

II. Alterum *Emlyni* argumentum eſt hoc: non mihi, inquit, nam modus allegationis obſtat, perſuadere poſſum, huius epiſtolae auctorem v. 10. de Chriſto intellexiſſe, quia *praefationem* illam non repetiit; auctorem enim huius epiſtolae expreſſe commate 8. προς δε τον υιον ſcripſiſſe, quo lectores ſciant haec *de Filio* eſſe intelligenda. Igitur ſic explicat: thronus tuus aeternus. Tu vero, domine, es ille, qui caelum & terram &c. Quod ad hoc attinet argumentum, reſpondemus: Primo: auctorem per totam hanc epiſtolam ſuſcepiſſe demonſtrare, religionem chriſtianam caerimoniis iudaicis ac iudaeorum legi eſſe anteferendam; ergo *de Chriſto* vbique agit, atque ea ex cauſſa, quod iſtius religionis auctor vniuerſae ciuitati dei iam ab initio praefuerit; & quia Meſſias ſic longe alius ominis & iuris, quam veteris teſtamenti miniſtri, ſiue angeli ſiue homines, lectoribus perſuadet: *relinqui recte poſſe & debere iudaiſmum.* Eſt vero ſatis peregrinum, *nouam* allegationem, (eſt enim *noua*, indicata per και) ſic peruertere: quoniam v. 8. iam προς τον υιον ſcripſerat, non neceſſarium putabat hic illud repetere, breuiſſime itaque & quaſi preſſius ſcribit και ſcil. ἐν ἀλλῳ τοπῳ, vt v. 5. και παλιν. Porro & haec copula και indicat, Paulum orationem de Filio v. 8. incepram *continuare*, & ipſae illae antitheſes membrorum, in quibus adhibendis apoſtolus omnem collocauit operam, veritatem noſtrae opinionis confirmant. Tum vero ipſa Emlyni interpretatio abhorret ab auctoris inſtituto, dum affirmat, epiſtolae auctorem v. 10 ſeq. *doxologiam* adhibuiſſe, qua Dei potentiam ac aeternitatem celebraret. Ne vero hoc commentam ſine omni veri ſpecie ſit, pergit Emlynus, eſſe hunc locum eo conſilio ab auctore allatum, vt regni Chriſti ſempiternitatem eo demonſtraret, ſicuti v. 8. Sed lectorum ſit, iudi-

cium, vtrum scriptor Epistolae creationem caeli & terrae hic possit commemorare, quam ad *filium* tamen nihil pertinere vellet. Nam, quod pergit, creationem non *absolute* vmquam tribui filio, sed deus creauit *per filium*: est inepta & infirma obiectio. Debebat igitur & hic *sic intelligere:* per te, domine, deus creauit omnia; igitur & recte dicebat, tu, domine, creasti omnia, ad εὐδοκιαν τϑ θεϑ. Concedimus autem τον θεον, deum summum, ἀγεννητον, esse *alium*, ratione subiecti sic informati; filius non est *ille* deus, ἀγεννητος, quia est eius filius. Hic quid tandem nos homines melius & verius scimus, qui de deo nec hoc sciebamus? Cur nolunt, qui scripturam sacri foederis sequi volunt, obsequi sententiis tam clare scriptis? Quia rem non omnino perspiciunt? Quid autem omnino perspiciunt aliarum rerum, & tamen non vltro obloquuntur: rem nullam posse aliter esse, quam prout intelligunt. Ceterum longe alia est forma doxologiarum, quas e. g. Rom. I, 25. 2 Cor. XI, 31. legimus. Fere eadem asserit *Clarck* in libro suo: *Schriftlehre der Dreyeinigkeit*, pag. 145.

§. IX.

Itaque videmur non male statuere, hac scriptione contineri ὑποτυπωσιν demonstrationis aduersus Iudaeos graecos, qua christiani *doctores* commodissime vti possent isto tempore, in illis Asiae atque Europae, partibus. Atque inde forte illustrari possit illa caussa: quod *Latini* rarius vsi sunt hac Epistola inter suos; quia destinata esset praecipue adducendis Iudaeis graecis. Ceterum, propositum quidem nobis erat, etiam illa carmina ex Epistola ad Ephesios, Colossenses, & Philippenses illustrare paulo diligentius; sed cum ista scriptio iam istum modulum expleuerit, quem eligere poteramus: *alteram* illam *partem* iam seponimus, quam post nos alii, quibus lubuerit, studiosius excutient, forte & illud praecipue effecturi: historica, & hermeneutica vera auctoritate carere viros eruditos, qui istas frequentes descriptiones, τας ἀρχας, ἐξουσιας, &c. non interpretantur de angelis, eorumque ordinibus & classibus; quae descriptio tamen in tot apocryphis libris, quos isto tempore maxime amare solebant isti graeci Iudaei, tam frequenter leguntur. Nobis sufficit, consilio nostro nos dedisse operam, sine studio partium; hanc laudem si inuenerimus, operae huius nos pretium commodum atque liberale interpretabimur.

I. S.

I. S. SEMLER
AMATISSIMO SCHVLTZIO.

Ego vero TIBI gratulor, quod feliciter emensus es istud stadium academicum; quod honestam vitae rationem semper secutus, etiam diligentiae strenuae non solum testimonium, sed etiam eius mites & salubres fructus in patriam affers. Nec dubito, disputationis istius TVAE & argumentum & modum, & Fautoribus TVIS & bonis omnibus probatum iri; atque fateor, istas fere notas me adieciſſe, hic ibi etiam quaedam paululum immutasse: quia id ipse velle videbaris; praesertim, cum quorumdam librorum vsum putares TIBI minus cognitum esse, quam satis esset. Abstinui autem ab aliis additionibus, licet non alienae viderentur ab illustratione historica; cuius generis erant istae sententiae patrum plurium clarae, de ista notione θεοτητος, viuo Christo, aut nulla aut obscura exstitisse testimonia, ob οἰκονομιαν, vnde *Iulianus* admonebat inuidiosius, *Ioannem* & Paulum solos esse auctores talium carminum; quasi hoc reprehensione non careat. Sed ista differemus in alium locum. TV iam porro, fac, vt recte obsequaris diuinae doctrinae, atque vt sic praestes illum ἀνθρωπον τϑ θεϑ qui est ἐξηρτισμενος προς παν ἐργον ἀγαθον. Salutem honorifice a me impertias, rogo, Fautoribus meis, S. V. *Göringio*, *Bielckio*, *Vogtio*, & si qui mihi alii bene cupiant! Iam vale atque TVAS res porro age feliciter. Dab. Halae d. XIX. Augusti CIↃ IↃ CCLXXV.

RESPONDENTI DOCTISSIMO

S. P. D.

MATTH. WILH. FRIED. WINDORFF,

SEMINAR. REG. THEOL. SENIOR.

Etsi non verebar reprehensionem TVAM, si, quam TIBI debeo, amicitiam publico testimonio non confirmassem; neque tamen impetrabam a me, vt dimitterem occasionem tam bellam, meum erga TE, SCHVLTZI AESTIMATISSIME, animum significandi, epistola tenui illa quidem, sed teste tamen beneuolentiae meae, vt opinor, non prorsus nullo. Interceſſit mihi TECUM ea amicitia, quam & optimam firmissimamque ab omnibus haberi, & mihi summam semper voluptatem, maximosque fructus non praebuisse solum, sed & in posterum praebituram esse scio. Capiebar enim, vt primum aliqua TVI cognoscendi facultas data est, magnopere illa animi TVI sinceritate, summa humanitate, ceterisque, quas in TE intellexi sitas, virtutibus. Accedebat, vt TV iisdem studiis delectareris, quibus ego me in primis dederam. Erat enim hoc TIBI laudabile propositum, vt cognitionis ac scientiae fines, quam longissime posses, proferres, & vndique colligeres, etiam ex iis studiis, quae nulla necessaria coniunctione Theologiae studium contingerent, aliquam TIBI scientiam comparares. Inprimisque TE tanto studio ad litterarum humaniorum cognitionem ferri intelligebam, quanto, qui plurimum in aliquo disciplinarum

rum genere cupiunt proficere, ferri solent. Atque ex his quidem omnibus factum est, vt coalescerent quasi animi nostri, atque arctissimo amicitiae vinculo iungerentur. Quare gratias TIBI ago quas possum maximas, maiores etiam habeo, qui mecum per hos duo annos amicitiam colere voluisti eam, quam ipse, quoniam hanc mihi inprimis esse vtilem videbam, vehementissime semper exoptaueram. Neque etiam me vllius vnquam temporis pigebit, quod amicitiae TVAE siue ineundae, siue conseruandae firmandaeque dedi, quod, cum plerumque, & id quidem libentissime siue de rebus theologicis differere, siue de scriptorum romanorum graecorumque legendorum ratione soleres, numquam a TE discedere memini, quin studiis meis stimulum aliquem a TE iectum senserim. Deberi hoc a me putabam amicitiae nostrae, vt, quantos ad permultas res perceperim ex ea fructus, non praeterirem, quamquam non ignorabam, neque TE vllis meis laudibus indigere, neque me de TVIS virtutibus satis graviter pro summa mea earum admiratione dicere posse. Gratulor TIBI feliciter peracta studia, idque eo magis, quo latius ea patent, quod relinquendum nihil putasti, quidquid rerum humanarum diuinarumque pertinere ad impetrandam legitimam sanctiorem scientiam videbatur. Gratulor TIBI & hoc, quod edidisti, specimen insignis TVAE diligentiae ac doctrinae. Reducat TE ipse Deus sospitem incolumemque in patriam, prosperet fortunetque omnes conatus TVOS in vberrimam ecclesiae vtilitatem, summamque TVORVM voluptatem, & cuncta TIBI feliciter ac prospere succedere iubeat. Ego vero id potissimam operam dabo, vt me amicissimum TIBI & fuisse semper existimes, & futurum esse intelligas. Vale. Dabam in Fridericiana, d. XXI. Aug. CIↃ IↃ CCLXXV.

SCHVLTZIO SVO

S. D. P.

PHILIPPVS IVLIVS LIEBERKÜHN

WVSTERHVSA-MARCHICVS,

SEMINARII REGII SENIOR.

Etsi hanc laetitiae meae de TE rebusque TVIS, Amiciſſime SCHVLTZI, teſtificationem neque amicitia noſtra magnopere deſiderare videbatur, neque temporis ratio patitur, eam ita comparatam eſſe, vt amori meo TIBI declarando, ſatis ſit idonea: tamen, ne officio meo defuiſſe vel aliorum iudicio viderer, hanc qualemcunque amoris mei ſignificationem huc adiicere, quam omnino me ab ea abſtinere, malui. Cum enim animus meus longa familiaritate TIBI cognitus ſit, TE profecto ſic de me exiſtimare, puto, nihil vnquam TIBI glorioſum aut laetum euenire poſſe, in cuius ſocietatem non lubentiſſime veniam. Quid autem eſt, de quo magis laetari poſſit atque debeat amici animus, quam de rebus amicorum feliciter geſtis, de doctrinae copia atque elegantia, deque animo virtute praedito? Quibus omnibus, cum TE, Humaniſſime SCHVLTZI,

TZI, ita exornatum videam, vt TIBI TVISque merito de iis gratulandum esse existimem, cur non magnopere TVO nomine gaudeam, cur non ob ingenuum TVVM erga me amorem beatum me praedicem? Sed in amicitiae nostrae commemoratione, etsi eius profitendae opportunitas mihi semper est iucundissima, copiosior non ero. Ex quo enim mihi TECVM consuetudo interceſſit, cuius quidem rei opportunitatem SELLIO nostro, in plurimis eius de me bene meritis & officiis, acceptam refero, studiorum communione & animorum coniunctione ita primum sancita, postea tot tantisque documentis confirmata est amicitia nostra, vt neque meus amor singulari hoc testimonio indigere neque TVVS erga me animus illud postulare videatur. Gratulor potius TIBI studiorum TVORVM cursum feliciter exactum, atque eleganti doctrinae TVAE specimine egregie coronatum. Quod reliquum est, sic de me existimes, velim, TE mihi semper fore carissimum neque me vnquam commissurum, vt amicitia nostra vel temporis diuturnitate vel locorum disiunctione imminuatur aut debilitetur. Ita vale, Amicissime SCHVLTZI, & me, vt amas, ama. Dabam. Halae die XXV. Augusti CIↃIↃ CCLXXV.



ULB Halle
003 249 530
3

Sb.

VD18

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-805908-p0043-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-805908-p0044-1

CARMINA QVAEDAM APOSTOLICA

QVIBVS

EVIDENTISSIME DEMONSTRATVR

SERVATOREM NOSTRVM

IESVM CHRISTVM

ESSE

PAVLO AVCTORE

VERVM DEVM ET VERVM HOMINEM

DISSERTATIO SECVNDA.

QVAM

PRAESIDE

D. IOANNE SALOMONE SEMLERO,

ORDINIS THEOL. SENIORE

SEMINARII REGII DIRECTORE

ET ALVMNORVM REGIORVM ATQVE HALBERSTAD. EPHORO,

DIE XXV. AVGVSTI CIↃ IↃ CC LXXV.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CARL GOTTLIEB SCHVLTZE

PYRITZIA-POMERANVS

E SEMINARII REGII SENIORIBVS.

HALAE SAXONVM

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDEL.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-805908-p0045-7